

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 3, Liber 1: De intelligentia et scientia consideratione morali

De intelligentia cognitione ingenio et scientia consideratione morali: Rubrica prima.

Iob hystoria capitulo 12. Auris verba diiudicat: et fauces comedentis saporem. 32. capitulo. Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Auris verba probat: et guttur escas gustu diiudicat.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 2. scilicet de solone. Solon qui fuit vnus de septem sapientibus dicebat: Intellectum fac ducem. Capitulo 17. scilicet de socrate. Socrates dicebat pene se scire nihil nisi ipsum ignorare.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. ad finem. Maximum est in minimo bonus intellectus in humano corpore.

Plato in timeo: Inuisibilium diuinarumque potestatum que demones nuncupantur prestare rationem maius est opus quam ferre valeat hominis ingenium.

Aristoteles methaphysicorum libro i. capitulo i. in principio. Omnes homines natura scire desiderant. Scientis signum est posse docere. Idem de anima libro i. Recto et ipsum obliquum cognoscimus: iudex enim vtroque rectum est: contrarium enim obliquum neque sui ipsius neque recti. Libro 2. Fortes carne ineptos mente videmus: molles autem carne bene aptos mente. Idem problematum parte 30. Omnes excellentes viri aut secundum philosophiam aut polliciam: aut poesim: aut artes videntur melancolici esse. Idem eleucorum libro i. Difficile est simul multa conspiciere. Libro 2. et finali. Quod scimus sepe transpositum ignoramus. Prouidere quidem difficile est: per vacationem autem videre facile. Idem ethicorum libro i. capitulo i. Unusquisque iudicat bene que cognoscit: et horum est bonus iudex. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 72. Intellectus est circa principia intelligibilium entium. Scientia est eorum que sunt cum demonstratione: principia autem intelligibilia sunt. Quare non vtique erit circa principia scientia et intellectus. 73. capitulo. Sapientia est ex intellectu et scientia composita: quare erit vtique circa hoc circa que et intellectus et scientia. Idem in tractatu de bona fortuna capitulo 2. et finali. Quid vtique est melius scientia et intellectu nisi deus? Idem rethoricorum libro 2. capitulo 16. Iuuenes omnia scire putant et affirmant.

Philon vel philemon libro sapientie capitulo 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam: et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Difficile estimabimus que in terra sunt: et que in prospectu sunt inuenimus cum labore: que in celis sunt autem quis inuestigabit?

Salustius in catilinario: Ubi intenderis: ingenium valet.

Tullius de officiis libro i. capitulo 8. Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et sciencie cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus. Idem de oratore libro i. Adest fere nemo qui non acutius atque acrius vitia indicet quam recta videat. Libro 3. Non est tanta in rebus obscuritas vt eas non penitus acri vir ingenio cernat si modo aspexerit.

Commented [CN1]: fol.60vb

Ouidius de ponto libro i. epistola 5. Mensque magis gracili corpore nostra valet.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. epistola 3. Plus tibi et viua vox: et conuictus quam oratio proderit. Homines amplius oculis quam auribus credunt. Libro 5. epistola 9. Patet omnibus veritas: nondum in occupata multum ex illa etiam futuris relictum est. Libro 11. epistola 2. Alit lectio ingenium. Libro 14. epistola i. Semina in corporibus humanis diuina dispersa sunt: que si bonus cultor excipit similia origini pariunt: et paria his ex quibus orta sunt surgunt. Si malus non aliter quam sterilis ac palustris humus necat: at deinde creat purgamenta pro frugibus. Idem de tranquillitate animi: Male respondent coacta ingenia. Nullum magnum ingenium sine mixtura dementie fuit.

Lex institutum libro 3. titulo de gradibus: §. fine. Ueritas magis occulta fide quam per aures animis hominum infigitur.

Cecilius firmianus de beata vita libro i. Nullus suauior animi cibus est quam cognitio veritatis. Primus sapientie gradus est falsa intelligere: secundus vera cognoscere.

Commented [CN2]: fol.61ra

Maximianus: Non intellecti nulla est curatio morbi.

Macrobius de somno scipionis libro i. Facilius ad intelligendum per oculos via est quam per sermonem. Libro 2. In re naturaliter obscura qui in exponendo plura quam necesse est superfundit addit tenebras. Anime facilius illabatur concepta ratio descriptione quam sermone.

Fulgentius mitologiarum in prohemio: Sciencie vestibulum puto scire quod nescias.

Cato capitulo 3. Consilio pollet: cui vim natura negauit.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 12. et penultimo. Eam mentium constat esse naturam: vt quotiens abiecerint vera: falsis opinionibus induantur. Capitulo 13. et finali. Nubibus atris condita nullum / Fundere possunt sydera lumen.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 8. Fidem siquidem rerum a ratione colligimus: que nunquam desiderantibus absconditur si suis vestigiis perquiratur. Libro 5. epistola 2. Paucos ratio capit: aut probabilis oblectat intentio: ad illud potius turba ducitur quod ad remissionem curarum constat euentum. Libro 7. epistola 5. Manus larga artium nutrit ingenia.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. capitulo 42. Summa miseria est nescire quo tendas.

Uersificator fabularum esopi 14. fabula. Ingenium vires superat.

Hugo de sancto victore in didascalicon libro 2. capitulo 7. Ingenium a natura proficiscitur: vsu iuuatur: immoderato labore recluditur: et temperato acuitur exercitio.

Mattheus vindocinensis in poetria parte i. capitulo 6. Ingenii dolor auget opes rebusque sinistris. / Plenius anxietas ingeniosa sapit. Particula 2. et finali capitulo 13. et penultimo. Natura fundat ingenium: prouehit vsus.

Gaufridus in poetria capitulo 29. Certior aure / Arbiter est oculus. Idem de hyronia curie papalis. Multa vident paucis: pectora magna notis.

Commented [CN3]: fol.61rb

Auctor libri de moribus medicorum capitulo i. Omnia scire decet: cuncta patrare nocet. / Scire malum quod vitet: idem res conueniens est. / Scire bonum discat: quilibet id quod agat. Capitulo 2. Ignari medici demit medicina salutem. / Dum prodesse putat: semper obesse solet.

Ricardus venusinus iudex libro de pertractatione nuptiarum capitulo 28. Sepius audiui: quia post conuiuia non est / Consilium compos: stat nemo bene sui. / Est hebes ingenium dape multa ventre recepta / Non est perfecte tunc rationis homo. / Turbatur cerebrum: cessat discretio mentis. / Cur satur est venter: spiritus alter inest. / Precipue bachus in nobis si dominetur.

Prouerbium vulgare: Bene e orbo: chi non vede per criuello. / Ele meio enzegno cha forza.

#### De experientia: Rubrica 2.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo i. Iuuenis inexpertus est eorum qui secundum vitam sunt actuum. Libro 6. capitulo 5. Iuuenis expertus non est: multitudo enim temporis facit experientiam. Libro 10. et finali capitulo 8. et finali. Desiderantibus de politica scire opus esse videtur experientia. Experti circa singula indicant recta opera: et per que et qualiter perficiuntur intelligunt. Idem methaphysicorum libro i. capitulo i. Hominibus scientia et ars per experientiam euenit: experientia enim artem facit: sed inexperientia causam: vt ait polus. Expertos magis proficere videmus sine experientia rationem habentibus. causa autem est quia experientia singularium est cognitio: ars vero vniuersalium.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 34. Qui non est expertus pauca recognoscit.

Uirgilius eneide libro 11. ante medium sat. Experto credite.

Paulus apostolus epistola i. ad thessalonicenses capitulo 5. et finali. Omnia probate quod bonum est tenete.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 23. **Bellico** homine stirpis est gaudium comprobari. Latet sub ocio laudabilis fortitudo: et dum se probandi non habet spacium occulta est lux tota meritorum. Libro 4. epistola 48. Multo magis opinio est purgata quam si definentibus querelis non fuerit impetita. Libro 11. epistola 2. Uerus testis est qui laudat expertus. 41. epistola et finali. Pectora ipsa vitare norunt qui se lesisse eis noscunt. Itinera illa non repetunt vbi in foueam corruerunt. Tenaces laqueos auis capta declinat: herentem viscum alis suspecta non insidet.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 41. Experientia plus scitur.

Uersificator fabularum esopi 50. fabula. Preteriti ratio scire futura facit. Uitat auis taxum quam gustu teste probauit.

Prouerbium vulgare. Scotao soplá ensorao.

#### De naturali perspicuitate veri: Rubrica 3.

Commented [CN4]: fol.61va

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo i. Homines ad veritatem apti nati sunt sufficienter. Semper veriora et meliora natura silogizabiliora et persuasibiliora sunt. Idem ethice libro i. capitulo 4. Uero quidem omnia consonant existentia: falso autem cito dissonat verum.

Tullius de oratore libro 2. Magna quidem est vis incredibilisque nature: omnis enim quoddam lesus tacito sine vlla arte que sint in artibus ac rationibus recta ac prava diiudicat. Mirabile est cum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem: quam non multum differat in iudicando.

Persius satira 5. Ars dedit veri dignoscere calles. / Ne quid sub errato: vindosum tineat auro. / Queque sequenda forent et que vitanda vicissim.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 13 epistola 4. Ueritas in omnem partem sui eadem est: que decipiunt nihil habent solidi tenue est mendacium: perlucet si diligenter inspexeris.

#### De ratione morali considerantione: Rubrica 4.

Plato in menone: Quotiens absque mente audet homo leditur: quotiens vero cum mente proficitur.

Aristoteles ethice libro i. capitulo 8. et finali. Omnia consonant rationi. / Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 3. Que fiunt absque ratione iudicante directiones a fortuna sunt. Idem physicorum libro 8. capitulo 3. Ordinatio omnis ratio est.

Tullius tusculanarum questionum libro 3. Munus animi est ratione bene vti. Sapientis animus ita semper affectus est vt ratione optime vtatur. Libro 4. Bene adhibita ratio cernit quid optimum sit neglecta vero multis implicatur erroribus. Nihil sine ratione recte fieri potest. Idem de legibus libro i. Quid est non dicam in homine: sed in omni celo atque terra ratione diuini: que cum adoleuit perfecta est nominatur rite sapientia. Libro 2. Lex vera atque princeps apta ad iubendum et ad vetandum ratio est recta. Idem de fine bonorum et malorum libro 4. Rationis perfectio est virtus. Idem de natura deorum libro 2. Nihil est mente et ratione melius.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 5. epistola 8. Si vis omnia tibi subiicere: subiice te rationi. Libro 8. epistola i. Ratio nihil aliud est quam in corpus humanum pars diuini spiritus mersa. Nullum bonum sine ratione est. Quicquid vera ratio commendat solidum et eternum est: firmat animum: attollitque futurum semper in excelso. Uirtus non aliud quam recta ratio est: omnes virtutes rationes sunt. Sequitur ratio naturam quid ergo est ratio? nature imitatio. 18. libro epistola 2. Ratione valentius nihil est: casum doloremque et iniuriam subigit. Ama rationem: huius te amor contra durissima armabit. 17. libro epistola 4. et penultima. Omnia ad rationem reuocanda sunt. Idem de beneficiis libro 4. Nihil sine ratione faciendum est.

Lex digestorum titulo de legibus l. infra scripta. Non omnium que a maioribus constituta sunt ratio reddi potest. Titulo ad legem acquila l. ita vulneratus: Multa iure ciuili contra rationem disputandi pro vtilitate communi recepta sunt.

Maximianus. Plus ratio quamuis ceca valere solet.

Commented [CN5]: fol.61vb

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 9. Fidem siquidem rerum a ratione colligimus: que nunquam desiderantibus absconditur si suis vestigiis perquiratur.

Commented [CN6]: fol.62ra

#### De meditatione: Rubrica 5.

Salomon in ecclesiastice capitulo 12. et finali. Frequens meditatio carnis est afflictio.

Aristoteles de memoria et reminiscencia. Meditationes memoriam saluant in reminiscendo: hoc autem nil est alterum quam speculari multotiens sicut imaginem: et non sicut per se.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 30. Ante tempus senectam adducit cogitatus.

Mattheus in euangelio capitulo 6. Ubi est thesaurus tuus: ibi et cor tuum.

Seneca de ira libro 2. Nihil est difficile et arduum quod non humana mens vincat: et in familiaritatem perducatur assidua cogitatio.

Uegecius de re militari libro i. titulo 19. Nihil est quod non assidua medicatio facillimum reddat. Libro 2. titulo 23. et penultimo. Antiqua est prudensque sententia omnes artes in meditatione consistere.

Prouerbium vulgare. Chi a porcel perdu: spesse faie ge roze al cul.

#### De imagine memoria reminiscencia et obliuione morali consideration. Rubrica 6.

Plato in timeo circa principio. Certum illud expertus sum tenatiorem fore eorum memoriam que prima etate discuntur.

Aristoteles de memoria et reminiscencia. Meditationes memoriam saluant in reminiscendo: hoc autem nil est alterum quam speculari multotiens sicut imaginem et non sicut per se. Memorari est non nunc reminiscentem sed ex principio scientem aut addiscentem aliquid. Sunt magis reminiscibilia quecumque ordinationem habent. Que multotiens intelligimus velocius reminiscimur. Idem de hystoriis animalium libro 8. capitulo i. Memoratio est mulier viro. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 4. Propter incuriam obliuio fit. Incuria autem par impensio est. Libro 3. capitulo 10. Metra omnes memorantur magis quam que non ligata: numerum enim habent quo mensurantur.

Commented [CN7]: fol.62rb

Salustius in iugurtino: Quintus maximus publius scipio preterea ciuitatis romane preclari viri soliti erant ita dicere: Cum maiorum imagines intuerentur: vehementissime sibi animum ad virtutem accendi: scilicet non terram illam nec figuram tantam vim in se habere: sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere: neque prius sedari quam virtus eorum famam atque gloriam adequauerit.

Oratius in poetria: Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Tullius rethoricorum artis noue libro i. capitulo 2. Memoria est firma animi rerum et verborum dispositionis perceptio. Libro 3. capitulo 4. Nuperrime dictum facile memorie commendatur. 12. capitulo. Si quas res in vita videmus paruas vsitatas quotidianas: eas meminisse non solemus: propterea quod nulla nisi noua aut admirabili recommouetur animus: aut siquid videmus aut audiuius egregie turpe aut honestum inauditum magnum incredibile periculosum id diu memnisse consueuimus. Usitate res facile memoria elabuntur. Insignes et noue diutius manent in animo. Idem de oratore libro 2. ad finem: Fingende sunt nobis imagines quibus semper vtamur rerum memoria. Idem de natura deorum libro 2. Nihil est difficilium quam a consuetudine oculorum aciem mentis adducere.

Seneca tragediarum in troade capitulo 7. Dediscit animus sero quod didicit diu. Idem de beneficiis libro septimo et finali: Solet plus prodesse si pauca precepta sapientie teneas: sed illa in promptu et in vsu sunt tibi sint: quam si multa didiceris: sed illa non habeas ad manum. Fragilis est memoria: et rerum turbe non sufficit. Idem declamatione seu ciuiliu causarum libro i. in prohemio: Sepe quod querenti non comparuerat aliud agenti presto est. Idem in epistolis ad **Lucillum** libro 5. capitulo 4. Turpe est seni aut conspicienti senectutem ex commentario sapere. Aliud est meminisse: aliud scire meminisse est rem omissam memorie custodire. at contra scire est sua facere queque: nec ad exemplare pendere: et totiens respicere ad magistrum. Aliquid inter te intersit et librum. Idem de moribus: Memoria beneficiorum fragilis est: iniuriarum vero tenax.

Commented [CN8]: fol.62va

Macrobius saturnaliorum in prohemio. Distincta melius seruantur in animo.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 22. Magnum beneficium est obliuionis nescire defectum. Quedam similitudo nature celestium est tempore decursa semper habere presentia. Libro 11. et penultimo epistola 39. Memoria nostra etsi causas retinet verba commutat.

Hugo de sancto victore in didascolacon libro 3. capitulo 10. Memoria hebes est: et breuitate gaudet: et si in multa diuiditur fit minor in singulis. Idem in compendio philosophie libro 2. in prohemio. In omni doctrina breue aliquid et certum debemus colligere: vt ipsum in alta sede mentis recondamus.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Sepius repetita veritas maiori soliditate firmatur: et attentiori memoria conseruatur.

Gaufridus in poetria capitulo 107. Cellula que meminit est cellula delitiarum. / Delitiasque sitit non tedia: vis ne placere / Illi: non oneres illam: vult illa benigne / Tractari: non mole premi: qua lubrica res est. / Et rerum turbe non sufficit delectatio sola / Uim memoratiuam validam facit.

#### De opinione: Rubrica 7.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 4. Necessarium est curare veritatem magis quam opinionem. Libro 6. capitulo 3. Opinio est circa contingens aliter se habere. Idem topicorum libro i. Positio est opinio extranea alicuius notorum secundum philosophiam. Idem posteriorum

analeticorum libro i. capitulo 17. et finali. Opinio incertum quid est. Melius est scire quam opinari.

Ouidius de arte amandi libro i. Iudicio forme: noxque merumque nocent.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 12. et penultimo. Eam mentium constat esse naturam: vt quotiens abiecerint vera: falsis opinionibus induantur.

Commented [CN9]: fol.62vb

#### De dubio: Rubrica 8.

Salomon in ecclesiastice capitulo 27. Ne glories in crastinum: Ignorans quid super ventura pariat dies.

Terentius in andria capitulo 6. Dum in dubio est animus: paulo memento huc vel illuc impellitur.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo i. Qui hesitat similis in fluctui maris qui a vento mouetur et circumfertur. Uix duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.

Seneca tragediarum ad lucillum libro 17. capitulo 4. et penultimo. In volutatione rerum humanarum nihil cuiquam nisi mors certum est. Idem tragediarum in edipo capitulo 3. Ubi leta duris mixta in ambiguo iacent: / Incertus animus: scire cupiat timet. In agamenone capitulo 6. Clades scire qui refugit suas: / Grauat timorem: dubia plus torquet mala. Idem de naturalibus questionibus libro 5. Arduum est ex his que coniectura sequenda sunt aliquid certe promittere.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 2. De dubiis non diffinias: sed suspensam tene sententiam.

Cassiodorus de anima capitulo 9. Melius est in occultis causis confiteri ignorantiam quam periculosam assumere fortassis audaciam.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 71. Ancipitem diu delibera sententiam. 60. capitulo. In ambiguis dei iudicio serua sententiam.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 3. Pellitur huc animus hominum: depellitur illuc. Sepe labore breui dum manet in dubio.

Montenarius in luna cleri capitulo 104. Indubiis sapiens ibit quam totius itur.

Prouerbiu metricum extraordinarium librorum vagante. Sub dubio forsans respondent sepe periti.

#### De iudicio et pronosticatione futurorum: Rubrica 9.

Solomon in prouerbiis capitulo 30. Penitus ignoro viam viri in adolescentia sua.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 5. epistola 7. Ariston aiebat velle se adolescentem tristem quam hilarem et amabilem turbe: vinum enim bonum fieri quod recens durum et asperum visum est.

Commented [CN10]: fol.63ra

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali epistola 19. Necesse est vt res magna cum potentia premittat.

Uersificator fabularum esopi fabula 59. Preteriti ratio scire futura facit.

De coniectura morum per aspectum et gestum: Rubrica 10.

Salomon in prouerbiis capitulo 17. In facie prudentis lucet prudentia. 17. capitulo. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Idem in ecclesiastice capitulo 8. Sapientia hominis lucet in vultu eius.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 8. Unusquisque qualis est talia dicit: et operatur: et sic viuut. 10. capitulo et finali. Rubescunt verecundati: mortem autem timentes pallescunt. Libro 10. et finali capitulo 5. Unusquisque circa hec et in his operatur que maxime diligit. Idem rethoricorum libro i. capitulo 16. Opera signa habitus sunt.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 13. Cor hominis immutat faciem illius: siue in bono siue in malo. 19. capitulo. Ex visu cognoscitur vir: et ab occurso faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis risus dentium: et ingressus hominis enunciant de illo. 21. capitulo. Fatuus ridens exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridet. 24. capitulo. Diuitis et pauperis cor bonum in omni tempore vultus illorum hilaris. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum et in palpebris illius agnoscetur.

Terentius in heutontumerumenon capitulo 20. Uultus quoque hominum fingit scelus.

Tullius de oratore libro 2. Imago animi est vultus: iudices oculi: nam hoc est vna pars corporis que quot animi motus sunt: tot significationes possit efficere.

Ouidius de arte amandi libro 3. et finali. Sepe tacens odii semina vultus habet. Idem de luco. Et color et macies et vestis et omnis egestas. Ostendunt qualem sensum sub pectore gestas.

Matheus in euangelio capitulo 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus simplex fuerit: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit totum corpus tuum tenebrosus erit. Idem dicit lucas in euangelio 16. capitulo.

Seneca tragediarum in thieste capitulo 8. Heret in vultum trucis: imago facti.

Maximianus: Certe difficile est abscondere pectoris estus. / Panditur in clauso sepius ore furor.

Prudentius de psicomachia capitulo 10. Pallor in ore: Conscius audacis: facti dat signa reatus.

Marcialis cocus libro vndique suscepto: Est speculum mentis facies: oculique reuelant / Qualia sint intus: mens animusque hominis.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 12. Degeneres animos vita arguit.

Prosper sub 22. epigramate. Ex operum spem clarebunt intima cordis.

Commented [CN11]: fol.63rb



Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 3. Panditur animi natura per vultum. Libro 6. epistola. 9. Superbus varieatis gressibus patet. Iracundus luminum feruore declaratur. Subdolos terrenum semper amat aspectum. Leues inconstantia prodit oculorum. Auarus ab vncis: vnguibus explanatur. 16. epistola. Sollicitis inquisitoribus sepe et vultu proditur quod tacetur. Libro 12. et finali. Sicut discipuli magistri scientiam produnt: sic nos obsequentium mores aperiunt. Libro 7. epistola 5. Prima fronte talis dominus esse creditur: quale eius habitaculum comprobatur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 29. Animus in corporis habitu apparet. Gestus corporis signum est mentis. Corporis gestu: animus panditur.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 37. Uix celari potest intimus cordis amor. Capitulo 43. Occultare nequit sua lumina maximus ignis. Occultare potest nec sua vota venus.

Andreas capellanus ad gualterium de amore libro i. Exterior habitus manifeste demonstrat qualis sit intus dispositio mentis.

Gualterius de castellione alexandreidos libro i. O quam difficile est studium: non perdere vultu.

Matheus vindocinensis in poetria parte i. capitulo 12. Oppositi vultus esse propheta potest.

Capitulo 19. Est color interpres mentis: vultusque propheta / Coniectura patet expositiua mali. Particula 2. capitulo 3. Mens vultu loquitur habitusque propheta doloris. / Coniecturales exhibet ore notas. / Ira patet vultus exteriora nota.

Heinricus samariensis libro i. parte i. Iam facies habitum mentis studiumque fatetur. / Mensque quod intus agit: iudicat illa foris. / Internique status liber est: et pagina vultus.

Gaufridus in poetria capitulo 75. Formido pallet: rubet ira: superbia turget.

#### De coniectura morum per verba: Rubrica 11.

Salomon in prouerbiis capitulo 12. Doctrina noscitur vir.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 2 scilicet de solone. Solon qui fuit vnus de septem sapientibus dicebat: verbum imaginem esse operum.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 8. Unusquisque qualis est: talia dicit et operatur: et sic viuit.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 27. Uerbum ostendit excogitatum hominis. Ante sermones non collaudes virum.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 10. epistola 8. Iracundi hominis iracundia oratio est.

Cato capitulo 5. et finali. Prospicito cuncta tacitus quod quisque loquatur. Sermo hominum mores celat: et indicat idem.

Cassiodorus epistolarum in prohemio. Oratio dispar moribus vix potest inueniri. Libro 5. epistola 22. Est quoddam speculum morum agentis oratio: nec maius potest esse mentis

Commented [CN12]: fol.63va

testimonium quam qualitas inspecta verborum. Libro 6. epistola 9. Speculum siquidem cordis hominum verba sunt.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. capitulo 31. Sermo vanus: vane conscientie index est. Mores hominis lingua pandit. Qualis sermo ostenditur: talis animus comprobatur.

Bernardus libri de improbatione vitiorum capitulo 5. Ex feda teste fetidus exit odor.

Prouerbum vulgare. Cotal parola cum tu me dico: tal cor me fai.